Nomine qui omnes habet thezauros ditare potest ipse signanter qui liberalissimus qui potentissimus qui omnia novit quibus indigemus potest In mat v° Beati pauperes spiritu sed vere in spiritu humilitatem atque sufficienciam habet Unde Gregorius in dyalogo primo ca° 22 Paupertas prodest non affuerit humilitatis gloriam pauperem superbum odit deus Et alibi dicitur Non pauper est non qui minus habet sed plus qui cupit Ex quo patet quod vera paupertas spiritum humilem et saciatum reddit Si igitur saciari omnes appetimus cur vera paupertate abdicamus Narrant enim naturales quod corvus licet sitiat non tamen bibit quousque plenitudinem aque inveniat ex quo possit saciari Cur igitur de torrente huius caducitatis potamus Cur in psalmum assiduo sollicitamur Expectemus enim illam plenitudinem glorie in qua saciari valemus quoniam omnes huius seculi fontes et flumina nobis non amaritudo sunt Unde apostoli mat 18 dicebant Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te quoniam aput te est fons vite et in lumine tuo videbimus lumen Augustinus exponit quod omnis avarus sitit hoc non immerito quia avaricia calor est qui sitire facit quod diu infernales seminant ypi qui ignibus atrocissimis torrentur Iam ostensum avaricia ydolorum servitus est Concernamus enim id quod narrat

Valerius li° iiii° ca° iii° de Fabricio qui refutavit aurum et argentum sibi missum Item dyogenes divicias sprevit Teste enim Seneca li° de providencia Demetrius divicias proiecit tamquam onerosas Libro de tranquillitate animi narrat de quodam qui cum omnia sua perdidisset gaudens ecce dicebat Iubet inquit fortuna expedicius philosophari Unde li° 2° de vitis patrum parte dicit quod thezaurus monachi est voluntaria paupertas et de quodam ibi narratur quod vendidit evangelium ut pauperibus succurreret dicens Verbum inquit vendidi quod iubet omnia vendi et dari hiis igitur verbis patet paupertatem merito esse tollerandam mundi quoque divicias contempnendas Sicut Ieronimus narrat Ieronimus epistola 3a Cr Crates thebanus homo quondam ditissimus cum ad philosophandum athenas pergeret magnum pondus auri abiecit quia non putavit se simul divicias et virtutes posse possidere Insuper idem Ieronimus epistola p de quodam philosopho recitat quod multarum possessionum precium in pelagum proiecit dicens Abite inquit in profundum male Malo enim vos submergere quam submergar a vobis Ecce igitur qualiter sapientes huius mundana dulcedinem tamquam amaritudinem spreverunt qui primo in hoc solum putabant ditari cum divicias eorum non apposuerunt

http://dl.ub.uni-freiburg.de/diglit/hs161/0262
© Universitätsbibliothek Freiburg
gefördert durch Baden-Württemberg